

Nf. 27.

Q. D. B. V. Oc 24.58.28. 28.
MEMORABILIA
ALIQVOT TRAN-
SYLVANIÆ,

In Alma Leucorea
Publico, placidoq; eruditorum examini
exponent

PRÆSES
M. JOHANNES FRANCISCI,
Coronâ - Transylv.

&
RESPONDENS
THOMAS SCHARSIUS,
Mediâ - Transylv.

D. 16. April. Anno M DC XC.

ab.

H. L. Q. C.

WITTEBERGÆ,
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

H. 27

An 28

MEMORIALIA
ALLIANTIA

SILVANUS

BONIFACIO LUCIDODENTICULUM EXALITUM

MONTAÑE FRANCISCI

COLUMBA FRANCISCA

CHARLES

MONTE

FRANCISCA

FRANCISCA

FRANCISCA

FRANCISCA

FRANCISCA



§. I. *Antiquitatis Sacrae*

Ransylvania, de qua nonnihil in præsenti pro ingenii captu commentari induxi animalium, veteris Daciæ pars olim fuerat, ac speciatim Mediterranea à situ, Consularis autem à regimine Romano vocabatur. Tota namqve Dacia vasta admodum, atque amplissima quondam erat regio, neque angustis Transylvaniæ, alioquin satis ample, terminis ac limitibus tunc circumscribebatur, verum præter laudatam modò hancce Mediterraneam, Alensem quoque & Ripensem complectebatur, regnumque erat & opibus potentissimum, & urbibus florentissimum, id quod residua hodiernum rudera ac vestigia amplissimarum quondam urbium in istis regionibus passim obvia luculentè testantur atque comprobant, insuperque Ptolemaeus ille Alexandtinus, accuratissimus juxta & doctissimus veteris terrarum orbis mensor & Geographus, suo confirmat suffragio, etenim hic ipse in *Geographie sue Lib. III. cap. 8. fol. 55. 56.* edit. Lugdun.

A 2

dnn.

dun. 1535. insigniores Daciæ civitates, celebrioraq;
oppida XLIV. enumerat, non vero XLII. duntaxat,
uti Stephanus Zamolius in *Analectis Dacie anti-*
quitatum cap. 11. f. 10. edit. Francof. 1598. ex eodem
non rectè supputavit.

§. II. Ceterum Dacia Alpensis est nostra atque
Moldavia & Valachia, quæ alio nomine *Transal-*
pina appellatur. Ripensis autem hodie est Hungaria
ultra Tibiscum, sive Singidonensis (aliis *Segido rei-*
siss) quæ & Varadiensis vocatur, ille nempe tractus
inter ripas Danubii & Tibisci, Marisi, Chrysique; ex-
currens, atque exinde nominis id haud dubie for-
titus. Eadem hæc Dacia Ripensis, Romanis ibi
rerum potentibus, fuit *prætoria provincia*, una
cum Alpensi sub *Dacia Consulari* tum constituta.
Quam in rem consulendus est Wolfgangus Lazius,
Medicus quondam atque Historicus Austriacus
perquam celebris, in Comment. Reipublicæ Ro-
manæ &c. Lib. I. f. 30. Lib. II. f. 149. & 183. & Lib. XII.
f. 933. edit. Francof. 1598. Conf. Bonfin. Rerum Un-
garicarum Decad. I. Lib. I. f. 5. edit Francof. 1587.

§. III. Quæ cum ita se habeant, Transylva-
niam esse Iazygum Metanastarum regionem, qui-
dam Geographi (quos inter referendum est *Micha-*
el Villanova Ptolemæi Scholia, in Scholio ad
Ptolemæi Lib. III. cap. 7. f. 55. a. adjecto, Iazygiam
Septem castra habere, Germanice *Siebenbürgen*
esse

esse diserte asserens; quem in hoc errore sequitur
Siegmund von Birken in descriptione Danu-
bii Germanicè edita p. 99. edit. Norimb. 1688.) mi-
nus rectè statuunt, cum Ptolemæus l. c. horum.
Iazygum regionem, ejusque situm inter Germa-
niā, montes Sarmaticos, Tibiscum fluvium &
Danubium ita describat, ut haud obscure colligi
queat, nullum aliud terræ spatiū, quam Mediter-
raneam illam & campestrem Ungariæ partem Da-
nubio, Tibiscoque fluminibus interjectam, eun-
dem innuere voluisse. Legatur etiam hac de re
supra allegatus *Zamosius* l.c.

§. IV. Laudata verò hæc Consularis Dacia Tran-
sylvaniae nomen hodie usitatum ac receptum ac-
cepit à sylvarum ambitu, quod nimis trans syl-
vas, montes Carpathios undique circundantes, sita
sit: quæ causa induxit Hungaros, ut Transylvani-
am appellarent à nemoribus *Erdeby*, tanquam re-
gionem sylvestrem & montanam. Vid. Lazius de
Rep. Rom. f. 926. & 928. Zamosius cap. 2. f. 10. & cap.
3. f. 13. Georgius Reichersdorf. Transylvanus, in Cho-
rographia Transylvaniae f. 580. inter Scriptores
Hungaricos Franc. Anno 1600. editos. apud quos e-
tiam varias Germanici vocabuli *Siebenbürgen*
derivationes legere licebit. Ego autem in eru-
endis harum vocum originibus nolim jam esse
prolixior, cum plura alia, notatu longe digniora-

hunc commemoranda mihi veniant. Addantur
interim ad superiores Johannes Sambucus in ap-
pendice ad Bonfinium f. 760. & ex recentioribus
Michael Antonius Baudrand Parisinus in Geograph.
Tom. II. f. 328. edit. Paris. 1632.

§. V. De cetero Daciam priscis temporibus a-
lienii imperii impatientem, ac sub suis constitutam
regibus, Trajanus inter Romanos Imperatores pri-
mus subegit, victoque, ac interfecto Decebalo, Da-
corum rege inclito, in Romanæ provinciæ for-
mam redegit, & propterea à Senatu populoque
Romano *Dacicu*s fuit cognominatus, quemadmo-
dum hæc omnia sedulo prolixèque descripsit Di-
on Cassius in Trajano f. 124. seq. edit. Basil. 1546. conf.
Eutropium Lib. VIII. cap. 2. p. 499. edit. Rapheleng.
1607. Sed vero seculo III. Daciam Gallienus amisit;
vid. Eutrop. L. IX. cap. 6. p. 509. tandemque virtute
Claudii utcunque restitutam Aurelianu neglexit,
sublatog exercitu provincialibus reliquit, despe-
rans eam posse retineri, ut disertis verbis memorat
Flavius Vopiscus in Aureliano f. 290. edit. Basil. 1546.
atque hoc pacto iterum se illa ab Imperio Romano-
rum vindicavit, libertatiqve pristinæ asseruit.

§. VI. Daciam verò Romanorum fuisse colo-
niam, præter Dionis, Eutropii, reliquorumque ve-
terum scripta, etiam tot antiquitatis monumenta,
quibus hæc regio, siulla alia, abundat, tot inquam,
lapi-

lapides, Romanis characteribus notati, qui ex se-
pultis urbium ruderibus ac ruinis hodieque eruun-
tur, tota lìa in viis publicis, in ædificiis adhucdum
residuis, indubitata Romanorum vestigia, abunde
testantur, & tantum non ad oculum demonstrant.

§. VII. Sententiae meæ haud difficulter fidem-
adhibebit, qui modo perlustrare voluerit supra-
laudati Stephani Zamolii *Analecta Lapidum vetu-
orum, nonnullarumque in Dacia antiquitatum*,
ut inscriperat, quo cum conferri meretur Rei-
chersdorferi *Chorographia Transylvanica*, itidem
à me jam jam laudata; *adde Transylvanicas in-
scriptiones veteres, quæ extant in appendice ad
res Hungaricas, Reichersdorffero subjunctæ, nec
non VVolfg. Lazium in Commentariis Reipublicæ
Romanae, in quibus omnibus multa de Romanis
per Dacias vestigiis & monumentis adferuntur,*
quandoquidem commendati modo viri, historia-
rum antiquitatumque indagatores studiosissimi,
partim ex hac provincia oriundi, partim alienige-
næ quidem, attamen Daciam curiosè diligenter-
que pervagati, hæc omnia propriis usurparunt o-
culis, eademque sedilo ac bona fide annotata, at-
que ex archetypis exscripta, publici juris fecerunt,
& cum eruditis liberaliter communicarunt, ut pro-
inde illis ipsis tuto credere, & fidem habere queas.

§. VIII. Verum inter omnes Daciæ antiquitates

ac

ac monum̄enta etiam atque etiam observari me-
rentur ruinæ *Coloniae Ulpiae Trajane*, quæ in vetustis
lapidibus, ut & Ptolemaeo *Geograph.* Lib. 3. cap. 8.
f. 56. vocatur *Zarmizegetusa*, & præcipua quon-
dam totius Daciæ urbs fuerat, & regia Deceballi, sex
miliaribus Germanicis ab Aluta fluvio in occasum
distans, prope *Sargetiam* (ita Dion appellat lib.
cit.) fluviolum, (quem Valachi accolæ *Istrigam*,
hodie nuncupant) Ea olim in medio Daciæ tractu
sita fuit, nunc limes est Transylvanæ, Pontum Eu-
xinum versus, ad radices montium in valle *Hat-*
zag, cuius nostra ætate rudera tantummodo in-
gentia, prisca magnificientiam aliquatenus indi-
cantia, supersunt, quæ ab incolis nominantur *Var-*
bely, id est, *arcis aut urbis locus*. vid. Lazio loc. c.
Reichersdorferum f. 577. seq. Zamosium c. 3. fol. 14.
add. ex recentioribus Baudrand. Tom. II. fol. 39.
Laudata hæc Daciæ Metropolis antiquissimis tem-
poribus, præsertim ante Romanorum in has terras
adventum, unico vocabulo *Sarmiz* dicebatur à
Sarmiz rege Daciæ vetustissimo, cuius numisma
argenteum in Dacia visum esse suis adhuc tempo-
ribus, testatur *Zamosius* Cap. 4 f. 16. & 18. Deinde
huic Sarmiz alterum quoque nomen additum,
Aethusa sive *Aegethusa*, ab Ægeo quodam vel Re-
ge, vel auctore ejus coloniæ, ita ut uno nomine di-
cta fuerit postea Sarmizægethusa, item *Sarmisge-*
thusa,

thusa, id quod ex vetustis monumentis lapidibus-
que ibidem loci copiosè repertis, cognoscere li-
cebit. *Vid. Lazio, Reichersdorf. ll. cc. Zamo-*
sum cap. 4. & 5. complures vetustorum lapidum
inscriptio[n]es hinc inde exhibentes; *add. append.*
ad res Hung. f. 627.

§.IX. Trajanus autem victo Decebalo rege
in istam Dacia metropolin coloniam Romanam
deduxit, atque Ulpia Trajanam à se cognominavit,
quod iterum probant inscriptio[n]es in ruinis
eius urbis erutæ, quas invenire est apud s[ecundu]m lau-
datos autores, ex quorum plurimis unam atque
alteram curiosi Lectoris oculis subjicere lubet, &
quidem ex *Lazio l. c. f. 927.* istam:

I. O. M.

ROMVLO, PARENTI. MARTI AVXILIA-
TORI. FELICIBVS. AVSPICIIS. CAESARIS.
DIVI. NERVAE. TRAJANI. AVGV-
STI. CONDITA. COLONIA.
DACICA. SARMIZ.

PER.

M. SCAVRIANVM. EJVS. PROPR.

Inter plures alias inscriptio[n]es, quas recenset
Stephanus Zamosius *Cap. 3. f. 14.* digna pariter est
qua[n]d[am] hic legatur illa, quam ex lapide Romano, ad

B

delu-

delubrum vetus in ruderibus Varhely extante, i-
dem descripsit, cuius apographum ita habet:

IMP. CAES. DIVI NERVAE
TRAJANO HADRIANO AVG.
PONT. MAX. COS. III. P.P.
CVJVS VIRTUTE DACIA IMPERIO
ADDITA FELIX EST
M. ARRIVS Q. R. COL. VLPIAE
TRAJ. SARMIZ
DEVOTVS NVMINI EJVS
EX VOTO POSVIT.

§. X. Idem etiam Zamosius ex aliis lapi-
dibus vetustis ibi repertis animadvertisit, urbem
istam postea coacervatis nominibus priscis & re-
centibus, dictam fuisse Ulpianam Trajanam Sarmiz
ægethusam, vid. ejusdem *Cap. 4 f. 16.*

§. XI. Atque hæc quidem adduxisse suffi-
ciat de Metropoli Daciæ vetustissima pariter &
amplissima, celebratissimaqve apud antiquos scri-
ptores, Claudiu[m] Ptolemæu[m], Dionem Cassiu[m],
Eutropium, aliosqve, cuius hodie ruinæ duntaxat
visuntur, ejusdemqve memoria apud plerosqve
mortales nostra ætate exolevit, cum tamen cæteris
antiquitatum monumentis, Romanisqve per Da-
cias

ias vestigiis palmam facile præripiat, aut certe du-
biā reddat, in cuius descriptione de industria sui
prolixior, eo qvōd hīc nonnullos Geographos at-
que Scriptores graviter hallucinari deprehendam,
dum quidam Coloniam Ulpianam Trajanam op-
inantur esse Coronam, Brassoviam ab Hungaris nun-
cupatam, patriam meam carissimam, superiori e-
heu! anno, inauspicati incendii calamitate affectam,
(vid. Scholium ad Ptolemai l.3. c. 8. f. 56. à non ne-
mine annotatum) quos proin Zamosius c. 3. f. 14.
tam longe à vero abesse, vere affirmavit, quam Ulpia
à Corona, qvæ Ulpia longe recentior est. (De cete-
ro qvōd obiter notem, Coronam potius esse vete-
rum Patroissam, qvæ numero XI. inter Daciæ Urbes
apud Ptolemaeum est, Lazius lib. 12. f. 929. una cum
aliis autumat, at verò Baudrand Gallus olim Præto-
riam Augustam, Ptolemai XIII. numero, dictam fu-
isse conjectat, Tom. 1. f. 301. Prolixam hujus civitatis
descriptionem, præter eos qvos recensui, exhibet
Reichersdorf. l.c. f. 574 seqq. verum hæc wç cñ πολε^ρ
ōw.)

§. XII. Atenim vero neqve Reichersdorferus,
origine licet Transylvanus, hic rem acu tetigit,
qvandoqvidem f. 569. ē 577. Albam Julianam qvon-
dam Decebalii Regiam Zarmis fuisse afferit, quem-
errorem itidem errarunt Auctor appendixis ad res
Hung. f. 627. nec non Job. Nadanyi de Keres Nada-

n in *Floro Hungarico lib. i. cap. 18. p. 53. edit. Amstel. 1663.* Sed hæc opinio veterum Geographorum descriptionibus prorsus est contraria, atque ex supra in medium prolatis facile refutari potest: quocirca haud immerito *Incomparabilis nostri i. ævi Polybistor Schurzfleischius*, in *Diatriba Historica, Anno 1688. Resp CL. populari nostro observando, M. Andr. Schulero, Bistric. Transylvano §. XLI.* absurdos pronunciat, qui *Albam Julianam* potest esse *Coloniam Alpium Trajanam*, quas tabula veteres & prisca monumenta recte & evidenter distinguunt. Sed & *Zamosius Albam Julianam* potius esse *Coloniam Apulensem* sive *Apulum Ovidii ac Ptolemæi*, (apud quem inter Daciæ civitates est XX.) pluribus, quin etiam vero similius probatum dedit *cap. 5. f. 25.* ubi insimul ex inscriptione quadam hujus Urbis ostendit, unde *Alba Julia* hodie sic appelletur. *Conf. Sam. bucum in append. ad Bonfinium fol. 76o. & Baubrand. T. 1. f. 30.*

§. XIII. Præter muta istiusmodi lapidum monumenta, Romanas Colonias Daciam olim inhabitasse manifestè ostendentia, alij adhuc, ijq; vivi quasi restes supersunt Valachi, Romanorum reliquiae, siquidem eorundem lingua, Latinum sermonem, haud obscurè redolens, originem Italicam facile prodit, quin ipsimet etiam Valachi sese *Rumuini* hoc est *Romanos* appellant. *Legantur de iisdem Lazius f. 926.*

f. 926. *Zamosius cap. 3. f. 11.* in primis Laurentius
Toppeltinus, *Transylvanus*, in *Orig. Transylvano-*
rum cap. 6. p. 51. seq. edit. Lugd. 1667. Johannem Sa-
mosciū, Valachos Romanorum cognatos esse ne-
gantem, refutans p. 54. 55. Hic autem observes ve-
lum, Valachos, non Valachiam tantum, quæ alio no-
mine *Transalpina* vocatur, sed & *Transylvaniam*
incolere, quamvis sparsim ac sine certa sede. *vid.*
Lazium l.c. Reichersdorf. f. 569. seq.

§. XIV. Sed potior in *Transylvania* est gens,
quam vocant, *Saxonica*, qva de jam copiosius a-
gerem, utpote ex ea originem dicens, nisi hoc labo-
re me sublevasset M. Martinus Kelpius, *humanissi-*
mus Vir, popularis meus honorandus, qvi sex abhinc
annis *Natales Saxonum Transylvaniae* peculiari dis-
sertatione erudite prolixeqve edisseruit, ac Lipsiæ
hoc super argumento disputavit *Præses*, quapro-
pter actum agere nolens, ad alia me confero, verba
nunc facturus strictim de *Siculis Transylvaniae*, uti
communiter vocantur hodie ab Historicis, Latinè
scribentibus, quantumvis minus accuratè. Notatur
hoc capite à *Zamosio Bonfinig*, quod verum ac pro-
prium hujus gentis nomen *Zeckel* uti barbarum,
in Latinæ linguae nobiliorem tribum, vernaculi
verbi idiomate prorsus antiquato, intrudere volu-
erit, ac contra primam vocis originem, quam ex
patria horum lingua habet, *Zeckelos in Siculos*,

q̄vibuscum nihil habent communē , transformārit.
vid. cap. 3 f. 12. hanc certe denominationem exte-
ris occasionem errandi præbuisse , testatur *Toppel-
tin. cap. 5. p. 45.* perinde ac si isti ita dicti *Siculi Tran-
sylvania ex Sicilia* descendissent , primordiaque
gentis suæ exinde cepissent.

§. XV. Nolo equidem hic , quod dicitur ,
cornicum oculoſ configere , atque hunc loquendi
modum nimis carpere , præsertim cum uſus ita
hos appellandi invaluerit passim apud hodiernos
scriptores fere omnes , communī velut eruditio-
rum conſenſu , dummodò nostrates Siculi cum in-
colis Siciliæ minimè confundantur , sed caute invi-
cēm quā originem distingvantur ; Etenim *Siculi*
Transylvanici & Hungari eadem gaudent origi-
ne , nempe Scythica , ſiquidem vefitu , ſermone , &
moribus ab Hungaris non multum diſcrepan :
quare autem in Daciæ comitiis à ceteris Hungaris
diſcernantur , exposuit *Toppeltin cap. 5. pag. 46.*
ad quem brevitatis ergo lectorē delege . Ni-
mirum vocantur iſti Hungarice *Szek-helyi* ; Da-
cicē *Zeckeli* , à quibusdam *Ciculi* à campo & di-
ſtriectu *Szeckel* , (in extrema Daciæ mediterraneæ
parte in ſeptentrionali plaga , quā Transylvania
Moldaviæ cohæret) quem extincto gentis ſuæ du-
ce , pulsi ē Pannonia occuparunt , & exinde ſe ipſos
Szekelos nominarunt . Sunt vero divisi in ſeptem
regio-


regiones, quas ipsi sedes vocant, metropolis eorum est Szekely Vassarbel, Germanicè Neumareck dicta, oppidum amplissimum, ubi frequens Szelorum conventus habetur. vid. de Siculorum sedibus, moribus, &c. *Lazius* fol. 926. *Reichersdorf.* fol. 570. conf. *Bonfin.* f. 132. *Sambuc.* fol. 760. *Nicolaum Olabum,* archiep. *Strigonensem in Atilla;* inter *Scriptores Hungaricos* f. 889. seq. ex recentioribus *Baudrand.* *Geogr. Tom. II.* f. 235. hinc Transylvaniæ Princeps in titulis vocatur etiam *Siculorum Comes.* vid. *Olab.* hac de ref. 890.

§. XVI. Præterea Hungaros quoque Transylvaniam passim inhabitare, notius est, quam ut prolixiore stylo exequendum sit, quorsum vide re expedit *Reichersdorf.* f. 570. conf. *Lazius* f. 926. & *Toppeltin.* cap. 4. p. 32.

§. XVII. Denique nonnihil de fertilitate, & copia omnium rerum ac frugum provenientium in Dacia, tam universè quam sigillatim considerata, eaque nostra, adjicere mihi commodum hic videtur. Regionem sane istam pinguisissimam frumentique feracissimam olim fuisse habitam, inter alia antiquitatis monumenta testatur, in primis numus ille Trajani, cuius mentionem injicit *Zamosius* cap. 5. fol. 20. Ejus enim numeri pars altera Cererem habet, quæ stans dextra cornu copiæ spicis plenum, laeva tabellam continet

manu

manu sublatam; Subscriptio est: ABUNDANTIA
DACIAE. Sed & hodie eandem non paucis regio-
nibus aliis hac in parte multis parasangis præferen-
dam esse, pluribus nunc documentis evincere in
proclivi esset, nisi in laudibus Patriæ recensendis
mihi temperare constituisse; Nam fortè id si
faciam, amori natalis soli dare & plus justo dice-
re videri aliis, & argui intempestivè possim. Lu-
bet interim ad hujus rei confirmationem duo ex-
teriorum, adeoque à partium studio alienorum,
testimonia subtexere, quorum unum est Bonfinii
f. 2. Transylvania, inqventis, pecoris, vini, fru-
menti, item auri & argenti feracissima &c. Al-
terum exhibit Sambucus *f. 760.* Transylvania
rerum omnium est feracissima, præciuè auri, ar-
genti, & aliorum metallorum: Ad bac salis mon-
tani; equos generat nobilissimos, vino abun-
dat. Addatur Transylvaniae encomium apud
Bonfinium *Decad. 4. lib. 1. fol. 543.* Sed manum
de tabula! qvanquam enim plura Daciæ, eaqve
memoratu digna, essent adducenda, consulto ta-
men hic telam abrumpo, & ut patriæ divina
humanaqve jura auspiciis Leopoldi magni, sub
pio & justo principatu, sarta recta conser-
ventur, enixè pariter ac religiosè
opto.



Ff III

ULB Halle
003 266 753


3



St


VD 77

Retro



B.I.G.

Black



re 3.
אל רַי
is hanc
uam in
Veteris
Refor-
alium
Ecclesia
lorum:
Et ite-
in arm
a canit
schreib
ug blem
laeten
deravit
commu-
tri Ref-
tes mo-
cation
gratia
dentur
Deus
person
utia, vi
appro-
hic à
Patri

Q. D. B. V. Oc 24.5828
28.
MEMORABILIA
ALIQVOT TRAN-
SYLVANIAE,

In Alma Leucorea
Publico, placidoq; eruditorum examini
exponent

PRÆSES
M. JOHANNES FRANCISCI,
Coronâ - Transylv.

&
RESPONDENS

THOMAS SCHARSIUS,
Mediâ - Transylv.

D. 16. April. Anno M DC XC.
H. L. Q. C.

ab.

WITTEBERGÆ,
Typis CHRISTIANI SCHRÖTERI, Acad. Typ.

H. 27

an 28